



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 An panis & vinu[m] sint materia propria Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ARTICVLVS II.

Verum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti.

4 d 1 q 2.
art. 1 q 3.

Lib 2 de a-
nima text.
4. tom 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratie non sunt minus ordinati, quam effectus nature. Sed sicut dicitur in secundo de anima, omnium natura constantium, positus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Ergo multo magis in hoc Sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est bona gratia) requiratur determinata quantitas panis & vini.

2. Præterea, Ministris Ecclesie non est a Christo data potestas ad ea, quæ pertinent ad irrisionem fidei & sacramentorum eius, secundum illud 2. Cor. 10. Secundum potestatem, quam dedit nobis Deus in adificationem, & non in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, & totum vinum, quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

3. Præterea, Si aliquis baptizatur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi: sed solum aqua illa, quæ corpus baptizati abluitur. Ergo nec in Sacramento superflua quantitas panis, & vini consecrari potest.

Sed contra est, quod multum opponitur paucis, & magnum paruo. Sed nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdotes non possent consecrare immensam quantitatem panis aut vini puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem, sicut materia ferræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiae huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse, quod determinetur per comparationem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens, non possit consecrare multas hostias. Unde relinquatur, quod materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiae huius sacramenti sit determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Unde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesie ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium. Secundo, ad finem effectus, secundum autem non tollit primum. Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem (puta ut irideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiae, & ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Et ideo non simile.

COMMENTARIVS.

Videtur D. Thom. supponere, non requiri certam quantitatem minimam, seu non habere hanc materiam terminum paruitatis. Unde in argumento sed contra, hoc sumit ut certum, & in corpore potissimum agit de magnitudine, seu multitudine materiae, docens nullum habere terminum magnitudinis, sed in quantacumque quantitate, simpliciter loquendo, posse confici hoc sacramentum, quod probat ex

sine institutionis, quia hæc materia est propter usum, & hic usus non est determinatus, sed potest maiorem & minorem quantitatem requirere, ergo nec materia esse debuit determinata. Sed posset aliquid respondere, negando ultimam consequentiam, tum, quia per certam aliquam quantitatem materiae posset maiori & minori multitudini fidelium satisfieri, singulis maiorem vel minorem partem specierum præbendo, tum etiam, quia in singulis locis posset certa quantitas limitari, quæ multitudini fidelium, quæ in tali loco inueniri possit, sufficiat. Respondetur, sacramentum hoc non debere considerari per comparationem factam ad numerum fidelium, qui in vno, vel alio loco existunt, seu existere possunt, hoc enim est accidentarium & extrinsecum, aliàs si alicubi conficeretur maior quantitas, quam ibi posset esse necessaria, non esset valida consecratio: quod erroneum est, debet ergo absolute referri ad fideles, quorum numerus simpliciter indefinitus est, est etiam indifferens portio specierum, quæ singulis fidelibus dari potest, denique iure diuino non est determinatum, quoties possint fideles hoc Sacramento uti, & ideo oportuit quantitatem huius materiae ex institutione indefinitam esse, quoad magnitudinem.

In solutione ad primum, non oportet D. Thom. ita exponere, ut asserat omnes res naturales, etiam inanimatas, ex intrinseca sua natura terminari ad maximum, id enim non asserit, quæquam, quia ad rem non pertinebat, principium illud generale non explicauerit, sed optime responderit, quidquid de illo sit, non esse tamen eandem rationem de Sacramento, quod cum res artificialis sit, non ex aliqua naturali forma, sed ex institutione habet proprietates fini suo consentaneas. Adde, in vniuersum verum esse materiam, cuiuslibet rei naturalis accipere quantitatem determinatam, per comparationem ad determinatam formam, quod solum D. Thom. asserit, hinc hæc determinatio oritur ex communi ratione specifica formæ, siue aliunde, de quo D. Thom. nihil dixit, quia ad disputationem philosophicam pertinet, ex qua conitatur principium illud Aristotelicum, omnium natura constantium datus est certus terminus magnitudinis, & augmenti, de viuentibus proprie intelligendum esse.

In solutione ad secundum docet D. Thom. consecrationem huius materiae factam esse malo sine adirrisionem, vel aliquid huiusmodi, esse validam, quia hæc intentio non tollit intentionem vere consecrandi, quæ doctrina est certissima, sicut certum est malitiam ministrum non impedire effectum huius sacramenti, prædicta intentione ad malitiam tantum pertinet, non ad potestatem, vel efficaciam, quæ oia constant ex doctrina tradita, de Sacramento in genere. Errat ergo vehemens Angelus verbo Eucharistia, 1. n. 21. Arguit qui prædictam D. Tho. assertionem negare audeat.

DISPUTATIO XLIII.

De materia remota Eucharistia in communi.



Voniam duplex est materia remota huius sacramenti, tripartita erit de illa disputatio. Primo enim ea, quæ vtrique materiae communia sunt, disputabimus, postea de singulis dicemus, quod D. Thom. in ordine articulo huius questionis obseruauit: nam his duobus articulis docet, quæ vtrique materiae communia sunt, in 3. & 4. de materia panis, in aliis quatuor articulis de materia vini tractat.

SECTIO I.

Verum Panis, & Vinum, sint propria materia huius sacramenti?

In hac re variis modis erratum est. D. Thomas tres errores refert. Primum eorum, qui confitebantur in pa-

Epiph. in pane & caeco, ex Epiphani. h.aresi. 49. & ex Aug. lib. de h.aresi. c. 23. Secundum, Cathaphrygarum in pane ex farina & sanguine infantis, subactio conficiuntur, Epiphani. supra, & h.aresi. 4. §. in fi. Aug. c. 26. & 27. *Damas.* Damal. h.aresi. 4. §. & 49. His coniungi possunt Gnostici, & Manichei, quorum errores propter modelitiam D. Thomæ hic prætermisisse videtur, hi enim in femine humano corpus Christi conficiebant, vt ex Gnosticis refert Epiphani. h.aresi. 26. vel in pane humano semine conferto, vt de Manicheis refert August. c. 46. Numerari etiam hic possunt Ophitæ, qui, vt videm Aug. refert c. 17. colubrum alebant iuxta altare, qui per incantationem sacerdotis, sacrificij tempore egrediebatur, & panem lambebat, in quo Eucharistia consecrari posset, quod etiam refert Tertul. de præscript. hæreticorum. c. 74. Tertia h.aresis à D. Thom. relata est Aquariorum, qui non in panis, sed in materia vini errabāt, solum aquam ad sacrificium apponendo, vt refert Isidorus lib. 4. Etymolog. ca. 5. & Cypri. Epist. 63. Clemens Alexand. lib. 2. pædagog. ca. 2. circa fin. & lib. 1. Stromatum, vbi hos hæreticos appellat, quia ab Ecclesiæ regula declinat Chryl. homil. 93. in Matth. exponens illa verba, non bibam a modo de hoc genimine vitis, vbi dicit Christum vino vtendo posse resurrectionem, eorum perniciosam h.aresim destrueret voluisse, qui aqua in mysterijs vtuntur. Et hanc h.aresim tribuit Ebionitis Epiphani. h.aresi. 30. Marcionitis in 42. Taciano & Encratitis in 47. idem Theodoret. lib. 1. hæreticarum fabularum, Manichæos etiam necesse est in eodem errore fuisse versatos, vinum. n. abominabantur, teste Aug. lib. 20. contra Faustum. c. 13. & Leone Papa sermone 4. quadragesimæ cap. 4. & 5. His adiungi possunt, qui lac loco vini offerebant, vt refertur in Concil. Bracharensi, III. cap. 1. vellac, & mel, vt indicatur in Con. Carthagin. III. ca. 24. & damnatur can. 57. Trullano post sextam synodum. Accendit qui in sanguine menstruo mulieris conficiebant, vt de Gnosticis refert Epiphanius h.aresi. 26. sed hi omnes errores nullum habent vel apparens fundamentum, quod dissoluere oporteat.

Veritas ergo Catholica est, materiam simpliciter necessariam ad cõficiendum corpus Domini esse panem, vinum vero ad sanguinem. Est de fide, quæ fides colligitur primo ex factio Christi. Matth. 26. accipiens enim panem cõsecrauit in illo, & similiter postea accipiens calicem, quod vero in calice illo fuerit vinum, videtur colligi ex verbis, non bibam a modo ex hoc genimine vitis, quæ Matth. & Mar. statim post consecrationem calicis referunt, & ita esse dicta de illo calice consecrato, indicat Chryl. supra, & exponit Aug. l. 3. de consensu Euangelistarum c. 1. Lucas aut c. 22. aperte distinguit duos calices, alium cõmunem, qui præcessit in cena legali, & alium consecrationis, & refert illa verba ante consecrationem, vnde indicat dicta esse de priori calice, vt exponit Hier. in Matth. Theophyl. & alij in Lucâ. Quidquid vero de hoc sit, Ecclesia tamen semper intellexit vtumque calicis fuisse vini, quod præter contextum Euangelicum, ex ipsa voce calicis colligi potest, significare enim solet in Scriptura sacra vas continens, vel aptum ad cõtinendum vinum, vel è contrario potum vini in vase contentum. Vnde Pl. 22. calix tuus inebrians, quam præclarus est? Ex hoc autem factio Christi colligitur necessitas huius materie, quia, vt supra ostendimus, in illo factio instituit hoc sacramentum, vnde subdidit, Hoc facite. Et confirmari potest illis locis veteris testamenti, in quib. sub pane & vino hoc sacramentum præfiguratum est, quæ supra retuli. Secundo probatur hæc veritas ex definitione Conciliorum, præter tria enim supra citata habetur in Florentino in decret. Eugenij, & in Lateranensi in c. Firmiter colligitur ex Tridentino, sess. 13. 21. & 22. & ex cap. 23. Trullano post sextam synodum, & ex Concilio Vormatiensi c. 4. Altiſidorensi. c. 8. Matifconensi. II. c. 4. &

ex c. Cum Martha, de celebratione Missarum, & alijs, quæ habentur de consecratione d. 2. Tertio probari hoc potest ex traditione Ecclesiæ, quæ ex Patribus supra citatis colligi potest, quibus addi potest Hier. in c. vltim. Amos circa finem. Theophyl. Mar. 14. Amb. 4. de sacrament. cap. 3. vbi figuram Melchisedech accodat. Augustin. lib. 20. contra Faustum, cap. 3. vbi refert, propter hanc consuetudinem sacrificandi ex pane & vino Gentiles imposuisse Christianis, quod Cererem & Liberum colerent, & huc etiam spectat, quod refert Iustinus martyr Apolog. 2. circa finem & Tertull. de præscriptionibus hæreticorum. ca. 40. dæmonem in inuidiam huius mysterij, panem & poculum cum quibusdam incantationibus miscuisse in quibusdam superstitionibus gentilium, quas vocabant Micræ mysteria. Hanc denique veritatem docent omnes Patres factum Christi, tam super Euangelia, quam super 1. ad Cor. 11.

Quarto, quo iam præcipua ratio huius est Christi instituentis voluntas, adducit Theologi congruentias, vt videre est in D. Thom. hic, & in alijs Doctoribus. d. 9. & consequentibus, Alex. Alenf. 4. part. q. 23. memb. 1. art. 1. Gabr. lectio. 35. in can. Summa omnium ad tria capita reuocatur. Primo enim suppono, corpus, & sanguinem Christi tradi nobis sub specie sensibili, quia hoc est de ratione sacrificanti, & est modus accommodatus homini sensibili, oportuit autem, vt esset sub specie aliena, & non propria, tum propter exercitum fidei, tum etiam, quia edi & bibi in propria specie, nec esset decens, nec fere possibile. Secundum caput est, has species accommodatissimas fuisse panis & vini. Primo, quia sunt facilissimæ ad cõmunem vsum fidelium. Secundo, quia sunt aptissimæ, vt cum reuerentia, & decencia tractentur. Tertio, quia sunt accommodatæ ad significandum tam corpus Christi verum, quam mysticum, tum quia corpus hominis præcipue nutritur pane & vino, tum etiam sicut panis ex multis granis conficitur, ita corpus Christi verum ex purissimis membris, mysticum vero ex multis fidelibus coadunatur, vt notant Cyprian. ep. 63. & Aug. tractat. 26. in Ioan. species autem vini consistat esse aptissimas ad significandum sanguinem, quia vinum est calidum, & humidum, & ideo maxime auget sanguinem, de quo videri potest Isid. lib. 20. Etymol. cap. 3. habet etiam proportionem ad significandum corpus mysticum, quatenus ex multis vix granis efficitur. Quarto denique fuit apta hæc materia, vt ex illa incrementum sacrificium conficeretur, & offerretur Deo, tanquam supremo Domino, quoniam panis & vini sunt veluti primitiæ creaturarum, sub quibus in Scriptura sacra omnia bona comprehenduntur. Quam rationem indicauit Irenæus lib. 4. contra hæreses. capit. 32. circa finem. Tertium caput est, quia oportuit vt utrumque speciem assumi, & nō alteram tantum. Primo, vt dum sub altera corpus, sub altera vero sanguis Christi cõficatur, expressus illius mors, & diuinctio corporis ab anima significaretur. Secundo, vt esset integrum conuiuium ex cibo & potu, quo perfecta animæ refectio representatur. Tertio, vt indicaretur. Christum perfecte redemisse corpus, & animam, quæ per panem & vinum representantur. Vnde Ambros. 1. ad Corint. 11. dicit, carnem saluatoris pro salute corporis, & sanguinem pro anima nostra oblatum esse, hoc sacramento significari. Quarto etiam ad completam rationem sacrificij indicari oportuit per has species, Deum esse corporis & animæ suipremum Dominum, & vtumque esse in laudem & gloriam ipsius referendum.

Contra hanc veritatem nihil video obijci posse, quod difficile sit, solum ex can. 3. 4. & 5. Apostolorum posset nonnullum argumentum sumi, ibi enim permittuntur offerri in altari, vix, oleum, & incensum, alia vero prohibentur. Sed oportet tibi duo distinguere. Vinum, quod offertur in ipso sacrificio à Domino instructo, in quo nihil offerri debet, præter id,

Rf 4 quod

Hieron. Theophyl. S. Ambros. August.

Isidorus

Alexis. Gabr.

Cyprian. August.

Isidorus

Irenæus

S. Ambros.

Obiectio.

Solutio.

Quod à Domino præceptum est, ut ibidem dicitur: aliud vero, quod per modum cæremoniae seu cuiusdam sacramentalis offerri dicitur ad altare, & hoc pendet ex institutione Ecclesiæ, & non pertinet ad materiam huius sacramenti, ut per se constat: & de hoc est sermo in posteriori parte illius canonis: agit enim de ijs, quæ in gratiarum actionem, vel pro aliqua benedictione suscipienda, vel ad ornatum & venerationem sacrificij ad altare acceduntur, cremantur, & ad sacerdotes afferuntur.

ARTICVLVS II.

An vtriq; species panis & vini, sit de necessitate huius sacramenti, vel tantum præcepti.

Quæstionem hanc attigit D. Tho. hic, art. 1. ad 2. & quamuis ad doctrinam de forma huius sacramenti, & de sacrificio Missæ, pertinere possit, tamē necessaria etiam hoc loco est, ut connexionem vtriusque partis materiae explicemus. Item, quia utilis admodum erit ad multa intelligenda, quæ in sequentibus tractanda sunt. Potest autem in illa arctingi aliquid pertinens ad necessitatem huius sacramenti, aliquid vero ad necessitatem præcepti, ne tamen materiam diuidamus, omnia breuiter hoc loco expediemus.

Primum igitur omnium sumimus ex dictis præcedenti quæstione, hanc duplicem partem materiae esse necessariam ad integram perfectionem, & significationem huius sacramenti; quod ergo nunc inquiritur, est, an hæc integritas ita necessaria sit, ut non possit vna ex his materiis sine alia consecrari, & potest esse quæstio, vel de necessitate sacramenti, & potest esse simpliciter, vel de necessitate præcepti, & potest licite facienda.

2 Concluf.

Dico ergo primo, vnam ex ijs materijs, prius tempore cōsecrari, quam aliam, statim enim, ac sacerdos absoluit verba consecrationis panis, adest ibi corpus Christi, antequam sanguis cōficiatur. Quod recte docuit Bernard. epist. 69. ad Guidonem, & Innocent. li. 4. de Officio Missæ, c. 23. & D. Tho. infra q. 78. art. 6. & in 4. d. 8. q. 2. art. 2. quæst. 2. vbi fere aliqui Theologi. Durand. q. 3. Palud. q. 3. art. 3. idem D. Th. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstionum. 1. ad 4. & ibi Soto. q. 1. art. 6. Aleni. 4. part. q. 3. memb. 4. art. 1. & colligitur aperte ex consuetudine Ecclesiæ: statim enim ac perficitur corporis consecratio, proponitur populo adorandum, ut habetur in capit. Sane. de Celebrat. Missar. Et ratio colligitur ex Concilio Trident. sessione 13. capit. 3. & can. 4. dicente, statim post consecrationem esse corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, quod respectiue intelligendum est, scilicet, peracta consecratione panis, statim adest ibi corpus Christi, &c. Et hoc probat ratio, quam subdit, quæ est primaria & propria huius veritatis, scilicet, quia, antequam Christus calicem cōsecraret, dixit, Hoc est corpus meum, & verum dixit, ergo iam illud erat corpus Christi: ergo consecratur altera materia ex vi veritatis formæ prius tempore, quam altera cōficiatur, sicut enim significatio vnius formæ nõ pendet ab altera forma, neq; veritas & effectus eius, seu cōsecratio vnius materiae pendet essentialiter ab alia, & ita hæc pars est certa de fide.

Obiectio.

Obijci vero potest, quia in Extrema vnctione, quæ sunt plures partiales formæ, & materiae, nihil tamen cōficiatur, neq; vllus effectus datur, donec omnes partes absoluantur, ergo idem dici potest in proposito, neq; erit contra veritatem formæ, quia ex intentione proferentis potest oïum significatio referri ad vltimum instans, in quo oïa consummata sunt sicut in Extrema vnctione fieri necessario dicendum est. Respondetur (quidquid sit de antecedenti quod in quæstionem verti potest, non est tamen huius loci) negando consequentiam. Primo ac præcipue, quia hoc pendet ex institutione Christi: Christus autem ita instituit vnum sacramentum, & non aliud, ut constat

Solutio.

Artic. III.

ex traditione Ecclesiæ. Et instari potest argumentum in sacramento Ordinis, nam in singulis Ordinibus aliquis effectus confertur, & per partialem formam, & materiam, quasi partiale sacramentum cōficiatur. Secundo redditur ratio ex ipsis formis, nõ in Extrema vnctione est tantum forma deprecatoria, & ideo ex vi suæ significationis & veritatis non postulat, ut statim operetur, sed pro eo tempore, pro quo sit deprecatio, secus vero est de forma huius sacramenti, quæ est indicatoria, cuius veritas requirit, ut ita sit, sicut per illam significatur. Tertio est etiam differentia in effectu, nõ in Extrema vnctione effectus est in suscipiente, & est vnus habens quodammodo connexionem cum omnibus partibus: nam est gratia perfecte remittens oïa peccata per omnes sensus commissa, & auxilium adiutans ad omnes difficultates egritudinis superandas, quod per modum vnius confertur. Ac deniq; quia licet interdum aliqua reliquia peccatorum, aut venialia peccata remitti possent sine alijs, sæpe tamen vnum eisdem peccatum potest committi, cooperantibus pluribus sensibus, & ideo, absolute loquendo, hic effectus postulat, ut fiat per modum vnius, & indivisibilis, absolute iam & perfecto sacramento. At vero in presenti, effectus formæ est in ipsa materia, & per se ac necessario non est vnius effectus connexus cum effectu alterius, quia corpus de se potest esse separatum à sanguine, & è contrario, licet de facto non sit. Ac deniq; citibus potest tempore antecedere potum.

Dico secundo non esse de necessitate sacramenti, seu consecrationis vnius partis materiae, cōsecrationem alterius, sed posse vnam sine altera consecrari, ita ut factum teneat: sequitur aperte ex præcedenti conclusione, & ita non docent omnes auctores citati. Et probat D. Bernard. supra, quia panis consecratur prius tempore, quam vinum: ergo quacumque ratione, siue per ignorantiam, siue per obliuionem, & incuriam, siue per malitiam, vna materia sine alia consecratur, manebit materia consecrata: ergo non est necessaria connectio inter has duas materias, quæ ad necessitatem simpliciter sacramenti cōficiendi pertinet. Patet prima consequentia, quia cōsecratio sacramenti non pendet ex futuro effectu, nec presentia corporis Christi sub speciebus panis, ex futura presentia sanguinis sub speciebus vini, præsertim, cum de fide sit, ut infra dicemus, cōseruari species panis consecratas, etiam si consumptæ sint species vini.

Dici tamen possit, verum esse, vnum effectum non pendere ab alio respectu, cum per accidens, ex varijs causis impediti possit, pendere tamen ex intentione operantis, ita ut si minister à principio intendat, vna solam speciem, & non aliam cōficere, nihil efficiat. Sed hoc vanum est, & præter sensum Ecclesiæ, nam in omni sacramento, si minister intendat efficere, quod verba significant, quodq; de se efficere possunt circa materiam subiectam, illa intentio sufficit ad effectum, sed hoc intendit sacerdos, etiam si non intendat aliam partem cōficere, ergo sine vlla dubitatione cōfici illam partem, quam intendit. Sicut Episcopus vere confert vnum Ordinem, etiam si intendat nunquam alium conferre.

At vero possit aliquis instare, esto, hoc verum sit de pane respectu vini, non tamen ita esse è contrario: quia fieri potest, ut consecratio vini essentialiter supponat consecrationem panis, Christus enim hoc ordine consecrauit. Respondetur, ex hoc Christi exemplo, & ex vfu Ecclesiæ, recte colligi hunc ordinem esse præceptum, ut notauit Sotus d. 11. q. 1. art. 6. quod est etiam rebus ipsis consentaneum, quia cibus recto ordine antecedit potum, tamè quod hic ordo sit essentialis, omnino falsum est. Quocirca, si sacerdos ex malitia prius consecraret vinum, quam panem, vltimum vinum, sine dubio factum tenebit: quia, vt ostensum est, vna consecratio non pendet ab alia, ergo multo minus pendebunt ex ordine. Item ob illam rationem, quod debita forma prolata super debitam materi-